

cat. Quamquam enim egregie sum adiutus CAROLI CONR. REITZII diligentia: tamen non licuit describere aut excerpere. Deesse enim non debebant voculae, in Reitziano non notatae: velut ἀπαρτάω, διατειχίζειν, μερίς, παρατείχισμα, περιπαθής, περισκέπτομαι, πισωτέος, πρόποσις, προσέτι, ὑποθήκη, et fortasse aliae nonnullae; nec fieri illud omnino potuit, quum multis oculis huius libelli auctoritas ibi non sit adscripta, quamvis in eo legantur. Desunt tamen, quod nunc sentio, in meo etiam indice, suis locis, vocabula nonnulla, nempe γέλως et κερεῖον: neque enim spero, vitio mihi datum iri, quod omnes voculas colligere et explicare studui. Magna quidem earum pars literarum studiosis in Academiis solet esse nota; sed non tantum Academicorum civium rationem in indice habendam censui, quum hic libellus ad explicationem scholasticam non sit ineptus, quid quod magis, ut puto, aptus, quam Mortuorum Dialogi, qui circumferuntur; deinde semper cognoui delectum in hoc genere esse difficillimum, interdum enim provectiores etiam in rebus haerent minutis, et, ut videtur, satis tritis. Malui igitur, supervacua hic addere, quam omittere necessaria. — Indicem denique rerum adiiciendum putavi, quum pro magnitudine vel potius parvitate libelli copia earum sat magna sit. Quod autem ad corrigenda pauca ista attinet, quae adieci in fine: ea nec Librario Viro honesto, et correctioni maxime studenti, qui singulas plagulas secundo loco corri-